



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Marcvlfī Monachi Formvlarvm Libri Dvo

Marculfus <Monachus>

Paris, 1635

XLIV. Emunitas sanctorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10644

XLIV. *EMVNITAS SAN-
ctorum.*

ILle Rex Francorum, vir inluster.
Quotiescumque petitiones sacerdotum aut ancillarum Dei ad effectum perducimus, regiam consuetudinem exercemus, & nobis ad mercedem, vel ad stabilitatem regni nostri in Dei nomine permanere confidimus. Ideoque dominis, viris sanctis ac venerabilibus Apostolicis in Christo patribus, omnibus Episcopis, vel omnibus Abatibus, seu inlustribus, atque magnificis viris, Ducibus, Comitibus, Vigariis, Centenariis, seu hominibus vassis nostris, vel omnibus missis nostris discurrentibus. Cognoscatis quod inlustris Abatissa illa de monasterio illo, in pago illo, in loco qui dicitur ille, in honore sancti illius constructo, vna cum monachis,

vel Dei ancillis, quæ ad laudē Christo canendam sub religionis norma conuersari videntur, clementiæ regni nostri suggestionem intulit, eo quod gloriosus dominus & genitor noster ille quondam Rex, per suam præceptionem sua manu roboratam talem emunitatem, ad ipsam casam Dei, seu monasterium illud, vel ipsam Abatissam habuisset concessum atque indultum: Vt nullus Episcopus, aut Archidiaconus, eo loci nisi orationis, aut prædicationis lucrandæ gratia accedat, & vt nullus iudex publicus, vel quislibet iudiciaria potestate accinctus, in curtib. vel villis ipsius monasterij, nullū debuisset habere introitū, nec ad causas audiendas, nec freda exigenda, nec ad fideiussores tollendos, nec mansiones, aut paratas requirendas, nec nullas retributiones exactandas, & quod fiscus noster

exinde exhibere poterat, nullatenus ex hac re requiratur. Vnde & confirmationes anteriorum Regum parentumq; nostrorum nobis in presenti protulit relegendas, & petit celsitudinem nostram, vt circa ipsum monasterium, nostra hoc deberet auctoritas generaliter confirmare. Cui nos hoc beneficium grantanti animo pro mercedis nostræ augmento non solum confirmasse, sed etiam in nouo sub emunitatis nomine cōcessisse. Denuo per hoc præceptum, specialius decernimus ordinandum, atque omnino iubemus, quod in perpetuum absque vllis obstaculis, & refragationibus volumus esse mansurum, præcipientes, vt sicut constat in supradictis titulis scriptum esse, vt illud monasterium maneat absque vlllo introitu Episcopi, aut archidiaconi nisi orationem, aut prædicationem lucran-

do, & vt nullus iudex publicus in
curtes, vel villas ipsius monasterij
nullum debeat habere introitum;
nec ad causas audiendas, nec freda
exigenda, nec fideiussores tollēdos,
nec mansiones vel paratas, nec vllas
retributiones exactandas, & quod
fiscus noster exinde exhibere pote-
rat, nullatenus ex hac re requiratur,
nisi vt diximus pro mercedis nostræ
augmento, sicut ab antecessoribus
Regibus parentibus nostris, seu &
dōno & glorioso genitore nostro
illo quondam Rege, moderno
tempore fuit concessum atque in-
dultum, ita per nostra oracula ple-
nius confirmamus, quod in perpe-
tuum volumus esse mansurum. Et
vt hæc præceptio firmior habeatur,
& per tempora melius conseruetur,
manu nostra signaculis subter de-
creuimus roborare, & de anulo no-
stro subter sigillauimus.